

5

religionem, uirtutes, & ad cælorum naturæq; uim cognoscendâ  
accendat. Expendēs nimirum, quanti referat artium præcepta  
recte proponere, & eorundem in uita usum ostendere. Ridiculū  
est sola præceptorum cognitione esse contentum, ac in docen-  
do, discendoq; non respicere ad usum, hoc est, ad mores & iudi-  
cium, propter quæ duo tamen Scholæ à maioribus sunt institu-  
tæ. Quo enim alio impulsu, pijs parentes erudiendos suos concre-  
dunt præceptoribus liberos, q̄ ut literis hi probe imbuti, man-  
suetiores integrioresq; fiant, Et de rebus tum hominum, tum  
mundi quoq; totius iudicare acute discant? Gloriosum idcirco  
est, & non parui apud Deum meriti, constituisse, singulari cura,  
ut in tua hac Metropoli studiorum portu amœnissimo, coactis  
in ordinem ijs, qui docent, ac gignendis animis sunt asciti, uni-  
uersæ bonæ artes, amplissimo cum fructu disseminentur. Fuit  
multorum uotis diu res hæc exoptata. Habet enim comitē hu-  
manitatem, lucemq; ad reliquas uirtutes etiam omnes, ad quam  
ceu signo dato, quidam hic, ut homines sunt cum primis eruditi,  
ac in debito literis uindicando iure propensi, exultanter & cupi-  
de non tantum concurrunt, uerum ut eam insuper tueantur, uti-  
les inter se operas partiuntur. Et quod quisq; sibi decorum, ac  
Scholæ profuturum existimat, id ipsum profert sedulo. Porro  
cum tua illa religiose semper mihi colenda sublimitas requirat,  
ut Philosophiæ iniciati ducantur in Mathematices quoq; adyta.  
Quod persuasum, Clarissime Princeps, habeas, cælestium rerū  
perliberalem esse cognitionem (cuius qui nullo tenentur desyde-  
rio, Platonis sententiâ, non homines, sed suillum pecus, dicendi  
sunt.) Cogitandum itentidem mihi de ferenda ope aliqua fuit.  
Nam etsi hic pleriq; alij sunt, qui luuenum adducere norint inge-  
nia ad Mathematica, quoniam me tamen ueluti Subsidiariū ijs,  
qui Medica & præstantiores alias Philosophiæ partes tractât,  
adiunxisti, Asymbolus esse non debeo. Conferentibus itaq; alijs  
alia, ipse in Scholæ usum & incrementum extrudo communi-  
coq; hunc de Siderum intelligendis pariter, & supputandis mo-

b            tibus